

qua orbem christianum, cui Deus per Legem, per Prophetas, per Evangelium, per Psalmos, per Apostolos tam multa testimonia perhibet, calumniosis & maledicis criminationibus insectantur: nec eum ipsorum errorem suscipimus, quo baptismum Christi etiam apud hæreticos regulam ecclesiasticam custoditum nolunt agnoscere, audent destruere, non dubitant iterare; quin etiam, si quos, non solum laicos, sed & clericos, nec quoslibet clericos, verum & presbyteros, & episcopos, etsi in illis Ecclesiis baptizati sunt, quas Apostoli labore proprio fundaverunt, si aliquo modo seductos ad se transferre potuerint, catechumenos faciunt. Hæc eorum detestabilia mala nequaquam suscipimus: quando quidem nisi eis correctis ad nos transire non possunt.

CAP. XII.

20. NEC illud sine distinctione præterimus, ut humiliorem agant poenitentiam quam fideles Ecclesiam catholicam deseruerunt, quam qui in illa nondum fuerunt. Nec ad clericatum admittuntur, sive ab hæreticis rebaptizati sint, sive prius suscepti ad illos redierint, sive apud illos clerici sive laici fuerint. Et qui hæc nostrorum negligenter agunt, & eos fortè clericos in catholica faciunt, vel esse permittunt, quamvis à diligentioribus fraterno jure culpentur; tamen nec ipsi eis clericatum deferendum putant, nisi quos ab illis malis vel noverunt emendatos esse, vel credunt. Ac per hoc frustra calumniantur Ecclesie catholice, quicumque ab ejus unitate nefario scelere separantur. Ut enim ver-

Rom. I. 18.

Revelatur ira Dei de celo super omnem impietatem & injustitiam hominum, qui veritatem in iniquitate detinent. Hæc ira, si non se correxerint,

etiam

etiam istos ^a inveniet, qui veritatem christiani baptismatis in iniquitate detinent suæ sacrilegæ separationis.

21. ECCLESIA verò catholica, quæ, sicut de illa prædictum est, per omnes gentes copiosa fecunditate diffunditur, nullius sic emendat iniquitatem, ut in eo non ipsius, sed sui Domini destruat veritatem. Quid ergo iste quasi licenter ac fidenter exclamat? *Baptizavi securus; quem tu sacrilegus inquinasti: baptizavi, inquam, feci quod fecit Paulus Apostolus.* Legat ubi hoc fecerit Apostolus Paulus. Quod si de illis apud Ephesum vult intelligi; audeat ergo dicere, quod eos Joannes sacrilegus inquinaverit. Quod si non audet dicere, quoniam apertissimum nefas est, desinat tandem de re multum dissimili falsæ similitudinis nebulas excitare.

22. Nam illud quod adjungit de episcopo carthaginensi Aggripino, de inclito martyre Cypriano, de septuaginta ^b prædecessoribus Cypriani, quia hoc fecerunt, & fieri præceperunt; o quam detestandus est error hominum, qui clarorum virorum quædam non rectè facta laudabiliter se imitari putant, à quorum virtutibus alieni sunt! Sic enim & nonnulli Petro Apostolo comparari se volunt, si Christum negaverint: si verò etiam gentes judaizare coegerint, vocitari germani ejus affectant. ^c Hæc in illo tanto viro reprehend-

CAPUT
XIII.^b Imitatio
præpostera.

DD 2

^a Er. & Lov. cum nonnullis MSS. istos injustos inveniet.^b Loquitur de concilio episcoporum Africae & Numidiae sub Aggripino, cujus meminit sæpe Cyprianus in epist. ad Quintum, ad Jubianum, ad Januarium. Vide supra lib. 3. de baptismo contra Donatistas cap. 12.^c Locus Floriacensis codicis ope redintegratus. In editis enim

sibilia fuerunt; sed tantâ eminebat apostolicâ gratiâ, ut continuò delerentur; nec ei, non dico præferri, sed saltem possit æquari, aut de proximo comparari, quisquis nostrorum temporum christianus, aut etiam episcopus nec Christum negaverit, nec gentes judaizare compulerit. Sic & in martyre gloriosissimo Cypriano: si apud hæreticos vel schismaticos datum Christi baptismum nolebat agnoscere, dum eos nimium detestaretur, quos à catholica unitate, quam multum dilexit, separatos dolebat; tanta ejus merita usque ad triumphum martyrii consecuta sunt, ut & caritatis, qua excellebat, luce illa obumbratio fugaretur, & ut sarmentum fructuosum fieret fructuosius, si quid habebat purgandum, si nulla re alia, certè passionis falce ultima tolleretur. Nec nos quia baptismi veritatem etiam in hæreticorum iniquitate agnoscimus potius quàm negamus, ideo meliores Cypriano sumus: sicut nec Petro, quia gentes judaizare non cogimus. Hoc de Agrippino aliisque episcopis, qui illa concilia fecisse perhibentur, responderim; qui sic diversa senserunt, ut cum eis contra quos de hac quæstione sentiebant, in unitate persisterent, ubi caritas cooperit multitudinem peccatorum. Sic namque ambulantes in a Ecclesiæ veritate, in quam pervenerant, potuit Deus, sicut ^a *Phil. 3. 15.* Apostolus dicit, id illis revelare quod aliter sapiebant. Nova enim tunc quæstio fuit, quem-

enim sic antea legebatur, *vocitari germani ejus affectant, apostolica gratia ut continuò declarentur: cum nec ei non dico præferri &c.*

^a *Lov. in Ecclesiæ unitate. MSS. quidam, in ea veritate. Ceteri cum antiquioribus editionibus Am. & Er. in Ecclesiæ veritate.*

quemadmodum suscipiendi essent hæretici: quæ nonnullos fratres hæreticam perniciem vehementer meritò detestantes; ipsa novitate turbavit, ut crederint hoc etiam in eis esse improbandum, quod malo suo tenebant bonum. Ego autem ut quod de hac re sentio breviter dicam, rebaptizare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptizare autem catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.

23. SED volo mihi solvat iste quæstionem: quando quidem cum romanæ ecclesiæ per ordinem commemoraret episcopos, inter eos commemoravit & Stephanum, quos episcopatum illibatum gessisse confessus est. Cum ergo Stephanus non solum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos esse censeret, sicut aliorum episcoporum & ipsius Cypriani litteræ ostendunt; tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit. Quid hîc dicturi sunt? Excutiant ingenia sua quantum possunt, & utrum valeant respondere considerent. Ecce duo erant uno tempore, ut de aliis taceam, qui diversa sentiebant: duo erant eminentissimarum Ecclesiarum romanæ scilicet & carthaginensis episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholica constituti: quorum Stephanus baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat. Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tamquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia catholica existimabat. Multi cum illo, quidam cum isto etiam sentiebant, utrique cum eis in uni-

CAPUT
XIV.

a tate a consistentes. Si ergo verum est quod isti dicunt, & unde caussam suæ separationis asserere, vel excusare conantur, in una communione sacramentorum mali maculant bonos, & ideo corporali disjunctione à malorum contagione recedendum est, ne omnes pariter pereant; jam tunc Stephani & Cypriani temporibus b periisse Ecclesiam confitendum est, nec aliquam posteris derelictam, ubi Donatus ipse spiritaliter nasceretur. Quod si dicere nefarium judicant, quia vera nefarium est; sicut mansit Ecclesia ex illis temporibus usque ad tempora Cæciliani, & Majorini, sive Donati, nec eam maculando perdere potuerunt quicumque in eam secundum ipsos sine baptismo admissi sunt, pleni omnibus peccatis & criminibus suis, nec ulla facta est à Cypriano, & eis qui pariter de baptismo sapiebant, ab illorum communione divisio; quoniam non se arbitrabantur in unitate & communione sacramentorum Christi, alienis malis posse maculari: sic potuit & deinceps Ecclesia permanere, quam toto, sicut de illa prædictum est, terrarum orbe crescentem nullo modo poterant quorumlibet traditorum ac facinorosorum aliena crimina maculare; sicut in una area usque ad tempus ventilationis maculari paleis frumenta non possunt; sicut intra una retia usque ad tempus littoris mali pisces bonos simul natando non perdunt.

24. Nulla igitur ratio fuit, sed maximus

fu-

a Am. & omnes MSS. *sistentes*.

b Sic Floriacensis vetus codex. Ceteri fere MSS. omitunt verba, *confitendum est, nec aliquam*. Editi verò locum ita redintegrabant, *constat periisse Ecclesiam, nec postea derelictam*.

furor, quo isti velut malorum communionem caventes, se ab unitate Christi, quæ toto orbe diffunditur, separarunt. Nisi fortè à criminibus crimina mirabili arte discernunt, non de Scripturis, sed de cordibus suis distinctionum regulas proferentes, atque dicentes, in unitate communionis sacramentorum alia crimina aliena sine contaminatione tolerari, traditionis autem crimine omnes, qui cum talibus sacramenta communicaverint, destineri. Sed hinc diutius disputare superfluum est, præsertim quia & hoc rarissimè audent dicere, ipsi quoque verecundantes & sentientes vana se loqui, & cum ea dicunt, nullo divino testimonio fulcire nituntur. Magis enim solent in ore habere, quando peccatis aliorum alios criminantur, ad excusandum nefas separationis suæ: *Videbas furem, & concurrebas cum eo: & Ne communicaveris peccatis alienis: & Recedite, exite inde, & immundum ne tetigeritis: & Qui tetigerit pollutum, pollutus est: & Modicum fermentum totam massam corrumpit: &* alia hujusmodi, quibus non traditionis crimen ab aliis criminibus aliqua proprietate discernitur, sed omnis peccati consociatio prohibetur. Quæ tamen divina testimonia, vel præcepta, si eo modo, quo isti, intelligeret Cyprianus, profectò se ab Stephano separaret, nec cum illo in catholicæ unitatis communionem persisteret. Ille quippe secundum sententiam, quam de baptismo isti tenendam putant, hæreticos & schismaticos, sicut opinantur, baptismum non habentes, admittendo in Ecclesiam communicabat peccatis alienis: quia videlicet peccata eorum, qui baptismo vero abluti non erant, in eis utique permanebant. Debuit er-

*Psal. 49.
I. Tim. 5.*

*Isai. 52.
Lev. 22.
I. Cor. 5.*

^a go Cyprianus ab ^a hujus communione discedere, ne cum fure concurreret, ne peccatis communicaret alienis, ne contagione inquinaretur immundi, ne pollutus fieret tangendo pollutum, ne fermento corrumperetur aliorum. Hoc ergo quoniam non fecit, sed cum eis in unitate permansit, tota ipsius unitatis tunc massa corrupta est, nec perseveravit Ecclesia, quæ postea sanctos istorum, Majorinum pareret ac Donatum. Hoc quia dicere nullo modo audent; restat ut fateantur bonos cum malis in sacramentorum christianorum communione sine ulla sua labe mansisse, & usque ad tempus Cæciliani perseverasse Ecclesiam Christi, non sine ullis hominibus malis, tamquam in horreo jam reconditam, sed adhuc commixtâ paleâ tamquam in area constitutam. Sic ergo & deinceps potuit permanere, sicut & permanet, donec ultimo iudicii die ventilata mundetur.

CAPUT
XV.

Prov. 24.
sec. LXX.

25. QUID igitur sibi vult tantus furor separationis istorum ab unitate corporis Christi, quæ, sicut prophetatum legitur, imple-rique jam cernitur, toto orbe terrarum atque in omnibus gentibus dilatatur? Hic certe, sicut scriptum est: *Filius malus ipse se justum dicit; exitum autem suum non abluit*: hoc est, non excusat, non diluit, non defendit quòd furore schismatico in hæreticam pestem de domo Dei exire non timuit: quia si verè justus esset, sicut Apostolus Paulus cum fratribus falsis, de quibus in suis epistolis ingemit, & sicut Cyprianus cum eis, quos sine baptismo suis peccatis præteritis plenos æstimabat, & admitti ad Ecclesiam ab

Ste-

^a Editi, *hujusmodi*. At MSS. *hujus*, scilicet Stephani.

Stephano sciebat; ita in Ecclesia Christi, cum eis quos injustos vel noverat, vel putabat sine ulla sui commaculatione persisteret, nec bonos propter malos desereret, sed malos propter bonos potius toleraret, tamquam granum cum palea pondere caritatis trituram ferens, non tamquam levissimus pulvis ante ventilationem flatibus cedens. Eo quippe modo etiam cum iniquis, quos necesse est usque ad littus retia ista contineant, in unitate catholica perseverans, non tamen cum fure concurreret, nec peccatis communicaret alienis, nec cujusquam ^a immunditiæ contrectatione macularetur, nec pollueretur tangendo pollutum, nec cujusquam fermento corrumperetur. Hæc enim sunt consensione peccatorum, qua per feminam serpens hominem primum etiam in paradisi felicitate decepit; non communione sacramentorum, in qua condiscipulos Judas mundos immundus contaminare non potuit. A malis autem, cum quibus sacramenta Dei communicant, etiam nunc in area, nondum in horreo, jam tamen boni discedunt, & separantur morum dissimilitudine, non corporum segregatione, aliter vivendo, non ad alia conventicula veniendo: sic nec cum malis unum fiunt, nec ab Ecclesiæ unitate discedunt.

26. Quid ergo nobis nescio quorum traditorum crimen exaggerant, quos tamen nec ipsos umquam convincere potuerunt? Sed si eos contra istorum calumnias defendamus, quorundam hominum causam videbimur agere, non Ecclesiæ. Prorsus quicumque & ubicumque traditores fuerunt, & non tantum

tra-

^a Nonnulli codices, *cujusquam immundi*.

traditorum peccatum, sed ipsorum etiam qui tradere compellebant, & omnium omnino facinorosorum, flagitiosorum, sacrilegorum, admittebat Stephanus in Ecclesiam secundum istos: quia si baptismum non habebant, omnia peccata quaecumque gravia & horrenda commiserant, in eis erant, & reos illos sine ulla remissione retinebant. Tales admittebat Stephanus, cum talibus erat in unitate catholica Cyprianus; nec tamen periit, sed perseveravit Ecclesia. Non igitur quemquam in ejus unitate maculant aliena peccata. Frustra filius malus à familia patris exire properavit, frustra se justum dicit, exitum autem suum non abluit. An fortè dicturi sunt, eos quos Stephanus admittebat, ipsius unitatis participatione mundatos, quoniam caritas cooperit multitudinem peccatorum? Utinam dicant: hoc enim & nos dicimus, quando eos ad unitatem vel urgemus ut redeant, vel monemus. Hoc autem pacto jam etiam nulla inter nos baptismi quæstio remanebit. Si enim apud hæreticos baptizati, cum ad Ecclesiam veniunt, unitatis ipsius caritate mundantur, profectò sine causa rebaptizantur.

*Prov. 24.
sec. LXX.*

I. Pet. 4. 8.

CAP. XVI.

27. VIDES itaque in hoc sermone, cui me respondere voluisti, quam multa dixerit ille pro nobis. Quid ergo jam opus est, ut episcoporum romanæ ecclesiæ, quos incredibilibus calumniis insectatus est, objecta ab eo crimina diluamus? Marcellinus, & presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Silvester, traditionis codicum divinatorum, & thurificationis ab eo crimine arguuntur: sed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos & sacrilegos fuisse dicit, ego innocen-

tes

tes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam, cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ulla testificatione demonstrant, nocentes potius quam innocentes crediderimus. Quia si fortè se aliter veritas habet, ipsi certè humanitati debitum redditur, cum homo de homine nihil mali temerè suspicatur, nec cuiquam criminanti facilè credit, quando sine testè ac sine illo documento crimen objiciens, maledicus potius conviciator, quam veridicus accusator exstiterit.

28. Huc accedit, quia Melchiade tunc episcopo romanæ ecclesiæ præsentente, ex præcepto Constantini imperatoris, ad quem totam illam causam accusatores episcopi carthaginensis ecclesiæ Cæciliani per Anulinum proconsulem detulerunt, idem Cæcilianus innocens pronuntiatus est. De quo judicio cum majores istorum importunissima pervicacia memorato Imperatori quererentur, quòd non plenè nec rectè fuerit examinatum atque depromtum, nihil de Melchiadis traditione vel thurificatione dixerunt. Ad cujus audientiam nec venire utique debuerunt, hoc potius antè suggerentes imperatori, aut ut suggereretur instantes, quòd apud traditorem codicum divinatorum & idolorum sacrificiis inquinatum causam suam agere non deberent. Cum hoc ergo nec antè suggesserint, nec posteaquam contra eos pro Cæciliano judicatum est, saltem victi & irati objiciendum putarint; quid nunc inanes tam serò connectunt calumnias, quasi & innocentia Cæciliani, Melchiadis judicis decoloratione fuscetur, & ipsa romana

ec-

ecclesia, ubi nec damnare quemquam suo qualicumque iudicio potuerunt, nec aliquem suorum velut in locum subrogare damnati, contra quam paucissimis afris partis suæ primo a interventores adventitios fuisse longèque mittebant, quos istum nominatim commemorare non puduit, donec deceptæ plebeculæ quasi proprios episcopos ordinarent? Nempe episcopum b abtungensem Felicem * post Cæciliani purgationem apud imperatorem accusaverunt, quòd ipse esset manifestissimus traditor, & ideo Cæcilianus episcopus esse non posset, quòd ab illo traditore fuerit ordinatus. Tunc Constantinus nec huic eorum accusationi negavit locum, quamvis eos in Cæciliani fictis criminibus calumniosos fuisset expertus; & ideo præcepit, ut caussa Felicis discuteretur. In Africa discussa est à proconsule Æliano. Felix quoque innocens declaratus est. Exstant * gesta proconsularia: qui voluerit, sumat & legat. Hoc autem non solum ad innocentiam Cæciliani demonstrandæ cumulum pertinet, ipsiusque Felicis evidentissimam purgationem, atque illorum calumnias declarandas, qui eum fontem omnium malorum in concilio suo dixerant; verum etiam ad cogitandam Melchiadis ab eorum criminationibus purissimam vitam. Nisi fortè quisquam tam sit insipiens, ut credat eos, cum Felici non pepercerint, à quo Cæcilianus fuerat ordinatus, Melchiadi parcere potuisse, à quo fuerat absolutus, si illius episcopi vitam, quamvis nullum vulnus conscientiam peremisset, saltem qualis-

* *Retract.*
cap. 34.

* *Vide infra in Appendixe.*

a Interventores sive intercessores dicebantur, qui Ecclesiam administrabant sede vacante. Confer Augustini epistolam 44. n. 8. & Concilium carthag. 5. can. 8.

b Am. Er. & quidam MSS. *abtugnensium*.

liscumque fama culpasset. An verò quod de foro abtungensium a fictum fuerat, ab istis accusaretur; & quod in Capitolio romanorum factum fuerat, taceretur?

29. De Mensurio autem quid respondeam, cum ejus tempore usque ad obitus diem plebs unitatis nulla conscissa est; ipsæque litteræ Secundi tigitani, quibus reprehensus asseritur, eos ad se invicem pacificè scripsisse confirmant, atque in collegii societate mansisse? Jam verò quod etiam de cirtensi Ecclesia dicere voluit, & episcopos ibi catholicos maledictis insectatus est quibus voluit; quid aliud egit, nisi ut vituperando sanctos etiam nostrorum temporum viros, nobisque optimè cognitos, satis ostenderet, quid etiam de ignotis, quibus similiter maledicit, sentire debeamus? Proinde si Profuturus ante paucissimos annos defunctus, & Fortunatus qui in corpore adhuc est, atque illi successit episcopo, quo modo manichæi fuerunt, sic fuerunt & illi traditores, quos longè à nostris temporibus ignotissimos accusare non cessant, etiam illorum nobis b pura ab istorum probris vita notissima est.

30. Non sanè parva est parùmque gloriosa consolatio cujuscumque nostrum, si ab inimicis Ecclesie cum ipsa Ecclesia criminamur: ejus tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt. Prorsus qualescumque fuerint Marcellinus, Marcellus, Silvester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atque alii quibus obijciunt pro sua dissensio-

Gloriosum est ab Ecclesie inimicis cum ipsa Ecclesia criminationes perpeti.

a Editi, *fictum*. Aptius hic Floriac. cod. *fictum*.

b Sic MSS. At Lov. *obscura. ab istorum approbris. &c.*

ne quod volunt, nihil præjudicat Ecclesiæ catholicæ toto terrarum orbe diffusæ: nullo modo eorum innocentiam coronamur, nullo modo eorum iniquitate damnamur. Si boni fuerunt, in aræ catholicæ tritura tamquam grana mundati sunt: si mali fuerunt, in aræ catholicæ tritura tamquam stipulæ comminuti sunt. Intra istam aream boni & mali esse possunt, extra eam boni esse non possunt. Quisquis ab hac unitate vento superbiam tamquam sola palea separatur, aræ dominicæ propter commixtam paleam quid calumniatur?

CAP. XVII.

31. NOS quoque dicimus, nec tantum dicimus, verum etiam litterarum monumentis ecclesiasticis & publicis comprobamus, Secundum tigitanum, cujus congregato concilio Cæcilianum dicunt esse damnatum, confessis traditoribus, ne schisma fieret, pacem dedisse, cum & eidem ipsi à Purpurio à limatensi crimen traditionis fuisset objectum. Dicimus Victorem ruscadiensem, Donatum calamentem, Donatum masculitanum, Marinum ab aquis tibilitanis, Silvanum cirtensem fuisse traditores, eosdemque quasi traditorum severissimos damnatores. Hoc probamus & ecclesiasticis, & municipalibus, & judicialibus gestis. Sed nec ideo traditores sunt omnes in parte Donati, quia in ea isti fuerunt: nec ideo est innocens pars Donati, si isti innocentes à traditionis iniquitate monstrentur. Melius enim audimus sanctam Scripturam, quam vel cuiquam calumniamur de peccatis alienis, vel cujusquam similem calumniam formidamus. Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Et unusquisque proprium onus portabit. Et qui manducat &

bi-

Exch. 18.
4.
Gal. 6. 5.
1. Cor. 11.
29.

a In MSS. Liniatensi.

bibit indignè, non alteri, sed sibi iudicium manducat & bibit. Et sinuntur utraque crescere usque ad messem, ne cum ante tempus colliguntur zizania, eradicetur simul & triticum: & commixti optimis pascuis hœdi agnique pascentur, donec à pastore, qui errare non potest, segregentur: & ex omni genere piscium retia^a complentur unitatis, donec ad iudicium littoris perducantur. Nisi quod isti sua perversa falsaque sententia sibi præjudicant, qui propter aliena peccata justè se dicunt ab orbis christiani communionem separatos: per hanc enim absurdam insanamque opinionem ipsi faciunt, ut eis quorundam suorum peccata omnibus imputentur. Quod si justum arbitrantur, rei sunt omnes cujuslibet apud se in uno homine inventi manifestissimi criminis: si autem hoc, sicut injustum est, injustum esse cognoscunt, rei sunt omnes iniquissimæ separationis.

32. JAM verò quoniam in hoc sermone de unico magis baptismo quæstio est, ut unde cœpta est nostra disputatio concludatur, sicut in ipsa unitate dominicæ aræ, nec propter bonos laudandi sunt mali, nec propter malos deserendi sunt boni: sic in uno homine nec propter illud quod in eo integrum est, ejus est accipienda perversitas, nec propter illud quod in eo perversum est, negari debet ejus integritas: quia & in judæorum iniquitate detinetur veritas resurrectionis mortuorum; & in gentilium iniquitate detinetur veritas unius Dei, qui condidit mundum; & in eorum iniquitate, qui cum Christo quia non col-

CAPUT
XVIII.
Conclusio
totius dis-
putationis.

a Floriacensis codex, contrahunt.

b Editi, ut in uno. Emendantur ad codicem Floriac.

a colligunt, spargunt, detinetur veritas a qua in ejus nomine pellunt spiritum immundum; & in templorum sacrilegorum iniquitate inventa est veritas, qua colebant ignotum Deum; & in dæmonum iniquitate inventa est veritas, qua confessi sunt Christum. Sic & in hæreticorum iniquitate inventa veritas non neganda est, qua detinetur baptismi sacramentum.

* *Alias 14
de verb.
Apost.*

SERMO CCXCIV.*

b *Habitus b in Basilica Majorum, in Natali
martyris Gudentis, V. Kalendas
Julii.*

De Baptismo parvulorum contra pelagianos.

CAPUT I.

I. IN natali sancti Joannis inter cetera quæ dicenda videbantur, ad baptismum par-

a Editi, quia Melius MSS. quæ.

b Hunc titulum præfixum habet in vetere libro PP. cis-terciensium S. Crucis in Jerusalem de Urbe. Sermonis tempus, occasionem & locum jam antè noveramus, partim ex ipsius exordio, quo significatur habitus in festo martyris paulò post superiorem de Natali Joannis Baptiste Tractatum; partim ex illis Augustini ad Aurelium carthaginensem episcopum verbis in lib. de Gestis Pelagii cap. II. Unde coacti sumus sollicitu sine caritatis, quam erga Ecclesiam Christi, per gratiam Christi, nos habere convenit, etiam ad beata memorie Marcellinum, qui eos quotidie disputatores molestissimos patiebatur, & me per litteras consulebat, de quibusdam istarum quæstionibus scribere, & maxime de Baptismo parvulorum: de quo etiam postea, te jubente, in basilica Majorum, gestans quoque in manibus epistolam gloriosissimi martyris Cipriani, & de hac re verba ejus recitans atque pertractans, ut error iste nefarius de quorundam cordibus auferretur, quibus persuasa fuerant, quæ in his Gestis videmus damnata, adjutus orationibus tuis, quantum potui, laboravi. In isto loco, pro in basilica Majorum, quod

ibi

vulorum noster sermo deductus est, & quia jam prolixus erat, & de illo terminando cogitabatur, non tanta dicta sunt de tanta quæstione, quanta in tanto periculo à sollicitis dici debuerunt. Sollicitos autem nos facit, non ipsa sententia jam olim in Ecclesia catholica summa auctoritate fundata, sed disputationes quorundam, quæ modò crebrescere, & multorum animos evertere moluntur. Hodie ergo, adjuvante Domino, placuit nobis hinc loqui. Diem quidem sollemnem martyris celebramus; sed major causa est omnium fidelium, quàm tantummodò martyrum. Non enim omnes fideles etiam martyres, sed illi ideo martyres, quia fideles. Videamus ergo quid ab eis proponatur, quid eos movet: quoniam & de ipsis non tam refellendis quàm sanandis cogitare debemus.

2. Concedunt parvulos baptizari oportere. Non ergo quæstio est inter nos & ipsos, utrum parvuli baptizandi sint; sed de causa quæritur, quare baptizandi sint. Hoc ergo quod concedunt, sine ulla cum ipsis dubitatione tenent.

TOM. V.

EE

nea-

Baptizandos parvulos pelagianii concedunt, non propter vitam æternam, sed propter regnum cælorum.

Ibi ferebat idem liber prima editione, alii Majorini legunt, alii Majore. Exstat supra Sermo 258. dictus ad basilicam Majorem: & contra Ser. 34. ad Majores, & Ser. 165. in basilica Majorum. Victor tandem lib. 1. de Persecutione vandallica, ubi lepinus in excusis, basilicam Majorem, in vetere Colbertino codice habet, basilicam Majorum. Sermonem autem hunc citati loci auctoritate referunt ad Christi annum 413. quia ibi testatur Augustinus habitum esse post scriptos ad Marcellinum contra pelagianam heresim libros, de Peccatorum meritis & remissione, qui pertinent ad annum 412. Hoc autem anno 412. die 14. Junii cirtensi Concilio aderat Augustinus, neque hos apud Carthaginem Sermones in Natali, sive post Natalem S. Joannis habere potuit citius anno 413. quo anno re vera longiore hac in urbe moram fecit, usque ad Marcellini cadem. Porro in martyrologiis aliquot Gaudentii Mart. ex Africa mentio fit VI. Kal. Julii, sed Gudentis nusquam.